

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Egregijs uiris, prudentia & uirtute ornatissimis, consulibus & senatoribus
ciuitatis Torgensis, dominis & patronis suis summa obseruantia colendis,
N.N.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Quare te quantum possum oro humanissime domine preceptor, ut tua humanitas mihi presidio esse uelit. Ego uero, etsi nihil præter sempiternam grati animi memoriam polliceri possum; tamen interrim assiduis uotis ac precibus te & tuos Deo commendabo: & oro ut pro sua infinita clementia, tibi multiplici cum sænore, hoc beneficium compenset. Vale.

Egregijs uiris, prudentia & uirtute ornatissimis, consulibus & senatoribus ciuitatis Torgensis, dominis & patronis suis summa obseruantia colendis, N. N.

S. D. Clarissimi uiri: Multis argumentis mihi cognita & perspecta est beneuolentia uestra erga meos parentes. Hac fiducia non ueritus sum uobis per literas exponere meam necessitatem, & simul opem uestram implorare ad sustentationem meorum studiorum. Arbitror igitur, iam dudum plurimis uestris notam esse uoluntatem mei patris, qui tametsi re familiari, ut scitis, tenui est: tamen uirtutis amore me & fratrem adhibuit ad literarum studia. Ac me quidem pater in Academia Vitebergensi aluit ferè per biennium, non sine magna difficultate, in hac sua inopia. Nec poterit pater meus ut existimari facile potest, diutius ullo modo sustinere

nere sumptus, quos Vitebergæ studiorum causa fa-
 cere cogor. Mibi etiam ipsi, quo magis per etatē
 accresco, acerbum est, diutius oneri esse parenti-
 bus, eorumq; erga me et studia mea pietate prope
 modum abuti. Sed magis miserum me iudico, cum
 cogito hæc studia deponenda esse, et spem oēm pa-
 rentum de meis studijs conceptam, unā cum sum-
 ptibus et curis ipsorum inanem fore, nisi ulterius
 progrediar in studijs, donec ad aliquam frugem
 perueniam. Id autem omnino fore (quod Deus pro-
 hibeat) uideo, nisi bonorum uirorum beneficentia
 mihi opem ferat. Habeo autem præcipuam spem in
 uestra erga parentes meos, et omnes honestos ho-
 mines uobis notos, beneuolentia. Pro ea igitur ue-
 stra insigni humanitate uos uehementer oro, ut si
 quam potestis concipere spem de studiorum meo-
 rum profectu, et mea erga uos gratitudine, deli-
 beretis de aliqua ratione, qua adhuc paucos annos
 studia mea foueri possim in Academia Vitebergensi,
 si, donec ad maturitatem aliquam perueniam, un-
 de et uos et Ecclesia fructum aliquem ex studijs
 meis percipere possitis. Accipio autem adhuc ua-
 care stipendium, quod pauperibus scholasticis so-
 let conferri: eo si meis studijs consulētis, summo be-
 neficio me affectum à uobis putabo. Ac polliceor
 bona fide, me summa diligentia daturum operam,
 ut intelligatis hoc uestrum beneficium in me non
 K male

malè collocatum esse. Et hactenus quidem ita spero me uersatum esse in studijs, ut præceptorum, & aliorum quibus uita & studiorum meorum curriculum notum est, iudicium de me, facile me sperem conseruaturum esse: quod ut retineam, uel potius augeam, & uestre in me beneficentia cum gratitudine et profectu in studijs respōdeam, annitar sedulo. Quare ut me uobis in hac re commendatum habeatis, etiam atq; etiam rogo. Data 18 Calend. Iunij, Anno 1544.

Amico suo Hieronymus B.
c. Mohr. III p. 76^b S. D.

Non facile dixerim, quàm molestum mihi tam diuturnum silentium tuum fuerit. Quod eò scribo, non ut tecum expostulem (sunt enim notae tuae, occupationes) sed ut meum erga uos omnes animum perspicias. Mirifice enim angebar de uestra ualitudine. Itaque me maximo beneficio affectum puto, quòd tandem respondi. Misit enim mihi literas tuas per proprium nuncium Ioannes post Saturnalia. Gaudeo uos omnes Dei beneficio incolumes esse: & precor, ut uos perpetuo seruet. Christus. Sed Lazari tabellarius perquam incivilis fuit, non enim concessit mihi tempus ad scribendam longiorem epistolam. De Marcello scripsit Bringius ante paucos dies, nosq; illa cura liberauit.

Tamli

affecit
Iofani

Iofani